

---

**Q. Horatii Flacci Epistola Ad Augustum, Comm. Illustr. H.  
Riedel (Finnish Edition)**

**Flaccus Quintus Horatius**

---

**Title: Q. Horatii Flacci Epistola Ad Augustum, Comm. Illustr. H. Riedel (Finnish Edition)**

**Author: Flaccus Quintus Horatius**

**This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.**





**Q. HORATII FLACCI**

**EPISTOLA AD AUGUSTUM**

**COMMENTARIO ILLUSTRATA.**

1911  
1912  
1913  
1914  
1915  
1916  
1917  
1918  
1919  
1920  
1921  
1922  
1923  
1924  
1925  
1926  
1927  
1928  
1929  
1930  
1931  
1932  
1933  
1934  
1935  
1936  
1937  
1938  
1939  
1940  
1941  
1942  
1943  
1944  
1945  
1946  
1947  
1948  
1949  
1950  
1951  
1952  
1953  
1954  
1955  
1956  
1957  
1958  
1959  
1960  
1961  
1962  
1963  
1964  
1965  
1966  
1967  
1968  
1969  
1970  
1971  
1972  
1973  
1974  
1975  
1976  
1977  
1978  
1979  
1980  
1981  
1982  
1983  
1984  
1985  
1986  
1987  
1988  
1989  
1990  
1991  
1992  
1993  
1994  
1995  
1996  
1997  
1998  
1999  
2000  
2001  
2002  
2003  
2004  
2005  
2006  
2007  
2008  
2009  
2010  
2011  
2012  
2013  
2014  
2015  
2016  
2017  
2018  
2019  
2020  
2021  
2022  
2023  
2024  
2025

**Q. HORATII FLACCI**

**EPISTOLA AD AUGUSTUM.**

COMMENTARIO ILLUSTRAVIT

**H. RIEDEL,**

*Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doctor,*

*Praeceptor V. et VI. classis in Gymnasio Groningano.*

70

---

**GRONINGAE,**

Apud W. VAN BOEKEREN.

1831.

453.



**Q. HORATII FLACCI**

**EPISTOLA AD AUGUSTUM**

**COMMENTARIO ILLUSTRATA.**





**PATRI OPTIMO**

**JOANNI PETRO BRUINWOLD RIEDEL,**

*VERBI DIVINI MINISTRO ET GYMNASII RECTORI  
IN PAGO AGRI FRISIACI KOLLUM,*

**S. P. D.**

**HENRICUS RIEDEL.**

Atqui si vitiiis mediocribus ac mea paucis  
Mendosa est natura, alioqui recta, . . . . .  
Si neque avaritiam, neque sordes aut mala lustra  
Objiciet vere quisquam mihi, purus et insons —  
Ut me collaudem — si et vivo carus amicis;  
Causa fuit pater his, qui macro pauper agello  
Noluit in Flavi ludum me mittere, . . . . .  
Sed puerum est ausus Romam portare docendum  
Artes, quas doceat quivis eques atque senator  
Semet prognatos.

**HORATIUS.**

*Inter omnia negotia, quae a pueris a me haud pauca  
aut levia flagitavit officiorum necessitas et literarum di-  
scendarum cupido, dulcissimum semper fuit tecum, ca-  
rissime pater, communicare, quidquid vel agerem vel  
suscipere cuperem. Haec autem suavis non minus atque  
utilis communicatio per munus scholastici, quo funge-*

bar, officia, et propter libri, quem conscribere aggressus eram, haud exiguam molem, si non prorsus cessavit, at tamen hoc quinquennio multo minus fuit frequens, quam olim solebat. Hinc illud unum, ut mihi contingeret, praeceteris optabam, ut tibi ea, qua es vegeta senectute, inscribere liceret hoc profectuum in literis specimen, et simul tibi praesertim studiorum meorum rationes reddere. Uti vero qui, ut rerum physicarum scientiam amplificaret, industriae civium suorum novas vias investigaret, et patriae suae opes et splendorem auget, terrarum orbem circumnavigavit, ignotasque regiones perscrutatus est, domum redux non tantum de his copiose disserit, sed etiam de itineris apparatu et consilio, deque aerumnis, quas perpessus est, ac de periculis, quae subinde effugit; sic fere me juvat hodie recordationem instituere longae viae et quasi ambagum, quibus tandem perductus sum, ut vitae meae tabernacula ponerem in literarum Latinarum Graecarumque studio. — Puer enim admodum a te, gravibus muneribus et plurium liberorum educatione occupato, traditus fui cognatis ad erudiendum; a quibus, quum per aliquot annos probabiliter sermones recentiorum populorum edoctus essem, vix juvenilem aetatem ingresso oblatum fuit munus privatum erudiendi filios viri nobilissimi A. ab Harinxma thee Slooten. Non est hujus loci vitam enarrare, quam per tredecim annos in familia illa amplissima duxi, aut benignitatem celebrare, qua parentes me filii instar habebant, aut denique laudare caritatem, quae paullatim discipulos inter et praeceptorem juvenem succrescebat; quae omnia tamen fecerunt, ut nihil magis gratum mihi sit et jucundum quam annorum illorum memoria. — Quoties autem, dilectissime pater, vitae tunc peractae recordabar, toties mihi veniebat in mentem insignis tua prudentia, postea tamen demum rite intellecta, qua me, adeo mature tua tutela quasi emancipatum, laudando magis et persuadendo, quam praecipiendo aut jubendo

ita vitam instituere perduxisti, ut et rebus et ingenio meo potissimum conduceret. Qui primus enim videbar contentus probabili resentiorem linguarum peritia, hunc tu mox incitasti, ut legendi, quo flagrabam, studio potissimum satisfacerem in scriptis historicis: tum, ut, quod primum fere supervacaneum duxeram, acriore studio linguae nostrae vernaculae indolem et grammaticam cognoscerem: deinde, ut ingenium juvenile magis magisque levitatem exueret et ad severiora studia aptius fieret, matheseos elementa ut perdiscerem mihi suavisisti; atque eo consilio auxilium mihi conciliavisti amici cujusdam tui hujus artis peritissimi. Ingenium ita aliquatenus subactum subito implevisti cupidine cognoscendi fontem limpidissimum, unde humanitas in omnes populos sese propagavit, literas, puta, Graecas Romanasque. Ruri autem plerumque degenti aderant haud paucae difficultates: quas tamen ardore a te accenso et auxilio mihi amice praestito a viro doctissimo R. Posthumo V. D. M. mox plerasque superavi, adeo ut utriusque veteris sermonis elementa satis feliciter sim assecutus; sed simul intelligere coepi quam late literarum nostrarum campus pateret, praesertim quum elogium Hemsterhusii a Ruhnkenio, et vitam Ruhnkenii a Wytttenbachio conscriptam legissem. Erexerunt animum spe fere dejectum favor laudesque eruditissimi viri, Valentini Slothouweri, qui Leovardiae indefesso ardore atque maxima cum utilitate per quinquaginta annos gymnasio praefuit. Hic igitur non tantum mihi persuasit, ut viam, quam ingressus eram, arriter persequerer, sed etiam ut, quod adhuc optare vix ausus fueram, totum me literis dederem, atque jus et facultatem peterem eas aliquando publice docendi. Cui consilio quum tu laetus accessisses, assidue in studia incumbere perrexi, et quum primum privato munere abdicare liceret, ante hos septem annos in hanc academiam sum profectus; ubi continuo in numerum candidatorum receptus, omnia ea addiscere studebam, quae aut lege requirun-